



Q. D. B. V.

50
58. 9

DE

REBUS PRO DE- RELICTO HABITIS.

Occasione

§. 46. Inst. de Rerum Divis.

EXERCITATIO SABBATHINA XIV.

Partis Posterioris

Quam

SUB PRÆSIDIO

DN. SAMUELIS FRIDERICI

WILLENBERG,

Doct. & Prof.

IN ATHENÆI GEDANENSIS AUDITORIO
ORDINARIO,

D. 21. Maij. MDCCXXII. Hora XI.

Instituent
RESPONDENS

IOH. CHRISTIANUS Teßlaff / Trept. Pom.

ET OPPONENTES

JOHANNES SIGISMUNDUS SCHULTZ, Gedan.

CASPAR WILHELM de BORCK. Eqv. Neo-March.

GEDANI, Typis JOHANNIS DANIELIS STOLLII,
SENATUS ET ATHENÆI TYPOGRAPHI.

§. Quaratione 46. I. de Rer. Div.

Qua ratione verius esse videtur, si rem pro derelicto à domino habitam occupaverit quis, statim eum dominum effici. Pro derelicto autem habetur, quod dominus ea mente abjecerit, ut id in numero rerum suarum esse nolit. ideoq; statim dominus ejus esse definit.

Conspicetus.

Possessionem retinendi & amittendi causa I. Quid sit res pro derelicto habita. II. animus derelinquendi verbis, facto vel non facto declaratur. III. res pro derelicto habita definit esse prioris domini, & occupanti acquiritur. IV. demum tamen per usucaptionem, si non facto derelicta. V. aut si res aliena à non domino abjecta. VI. statim vero si à domino verbis vel facto abjecta. VII. auferens rem pro derelicto habitam furtum non committit. VIII

Regna quoq; pro derelicto habentur. Cujus tunc imperium? X. An hodie res pro derelicto habita fisco cedant? distingv. X. Res vitandi naufragii causa ejectæ non habentur pro derelictis, sed recuperatae domini manent. XI. Inde illarum fit furtum. XII. non sunt Fisco addicendæ. XIII. improbantur preces pro lucrandis naufragorum bonis. XIV. nec de rēda currente amissæ inventori acqui-runtur XV. Sunt denunciandæ. Quid si non appareat dominus? XVI.

I.

A est possessionis qualitas, quod non prius tollatur, quam animus & facultas naturalis deficit. Animus enim anima possessionis est L. i. §. 3. ff. de A. vel A P. nec minus de ejus essentia est facultas tenendi, ut, quamdiu haec essentiales partes salvæ, salva quoq; maneat possessio, & per solum egressum ex fundo vel ædibus non amittatur L. 3. §. 8. L. 6. §. 1. L. 25. §. 1. L. 46. ff. d. t. Econtrario sublato animo possidendi, quando quis nolit amplius possidere d. L. 3. §. 6. L. 17. §. 1 ff. eod. vel in perpetuum extincta facultate tenendi, dum vel ipsa res possessa interiit, annulo v. gr.

v. gr. in Oceanum projecto *L.* 23 ff. *de P.* *V.* vel ea furto obla-
ta *L.* 15 ff. *de A.* vel *Amitt.* poss. aut si quis vi dejectus *L.* 1. §. 45.
ff. *de vi* & *vi arm.* possessio quoq; necessario definit.

II. Talis animus non amplius durat in rebus pro dereli-
cto habitis, quæ definiuntur, qvod sint res, quae ea mente à
domino abjectæ, quod eas amplius in numero rerum suarum
habere nolit §. 46. *J. de R.* *D.* De his si constet, quod sint ab-
jectæ, vel desertæ, & eo quidem animo, ne amplius maneant
abjicientis, possessione ejus excidunt, sive mobiles sive immo-
biles illæ fuerint. *Bachov.* & *Vinn.* *Comm. Inst. add. § 46.*

III. Animus ille vel verbis declaratur, ore vel scripto pro-
lati, vel ipso facto abjectionis aut derelictionis. Nam tali fa-
cto satis manifestum fit, abjacentem nolle amplius rem abje-
ctam sibi habere. Atq; id tam inter privatos, quam Princi-
pes & liberos populos vim istam sibi vindicat. Venit enim
ex jure naturali, quo quisq; suum abdicare potest, & ex natu-
rali præsumptione, quā quis voluisse creditur, quod sufficien-
ter significavit. *Grot. de Jure B.* & *P.* *lib. 2. cap. 4. §. 4. n. 2.* Et
non facto quoq; si omissione animus iste derelinquendi de-
clarari potest, cum sciens quis patiatur rem suam ab alio sibi
possideri, nam silentium scientis & liberè volentis pro con-
fensiū habetur. *Grot. d. l. §. 5.*

IV. Res quæ ita pro derelicto habita, non amplius prio-
ris domini manet, sed ejus esse definit. Eodem enim modo,
quo nostræ fiunt res, nostræ quoq; esse definiunt, ac tunc oc-
cupanti cedunt. *L.* 1. § 7. ff. *pro D*erelict. ut tamen sciat oc-
cupans rem pro derelicto haberit. Quam enim scit talem non
esse, simul intelligit eam ad alium pertinere, eamq; hinc sibi
acquirere non posse *L.* ult. *C.* *Unde vi.* Si econtrario constet,

rem pro derelicto haberet, ea occupanti acquiritur, licet in alterius ædibus occupata fuerit. Philippi in Uso Pr. Inst. Libr. 2, tit. 1, Ecloga 20, n. 6, seq.

V. Inter rem tamen non facto, & facto vel verbis pro derelicto habitam differentia est, quod illa non statim apprehendens fiat, sed demum possessione temporis lege definiti. Ex tanto enim tempore præsumitur Dominum rem suam non vindicare velle, cum vix fieri queat, ut intere a non habuerit viam ad ejus notitiam, quā adepta potuisset, si ullam ejus curam haberet, satis significare, quod eam reperere vellet, dum vero non fecit, exinde animus ejus derelinquendi haut difficulter colligitur. Pufend. de Jure nat. & gent. lib. 4, cap. 12, §. 8. Grot. II. 4, 6, § 8. Nec contrarium post istud tempus ex capite metus præsumendum est, quasi ob illum non licuerit rebus suis invigilare. Haut enim probabile est, metum pertantum temporis spatium duravisse, ut nulla adfuerit occasio, sibi adversus metum consulendi. Magis adhuc pro voluntaria alienatione contra dominum præsumptio militat. Grot. d. §. 6.

VI. Facto vel verbis res abjecta eo etiam casu, ut fiat a cipientis longiorem possessionem requirit, si non dominus eam abjecerit, & alter tanquam à vero domino habuerit. L. 6. ff. pro derelict. Usucapione enim illa aequirenda est, ad quam titulus pro derelicto justus est, licet usucapiens ignoret, à quo derelicta sit L. 4. ff. d. 2. Si enim sciat rem à non domino derelictam esse, eam usucapere nequit, cum in mala fide sit.

VII. Alias si facto vel verbis à vero domino pro derelicto habeatur, statim rei, & antequam ab alio occupetur, dominus esse desinit, & à prima occupatione occupantis sit L. 1. 2. §. 2. L. 5.

L. 5. §. 1. ff. d. t. cum ex naturali ratione res nullius cedat occupanti §. 12. f. de R. D. L. 7. pr. ff. de A. R. D. Hocq; easu per imaginariam quandam traditionem res pro derelicto habitat transfertur, cum actus abjectionis & derelictionis hujus vices suppletat, & videatur abjiciens vel derelinquens per eum quasi rem primūm occupanti tradidisse d. L. 5. §. 1. Rhet. in Med. Inst. Diff. 10. §. 4. Lauterb. Coll. Pr. tit. de A. R. D. §. 45. Vinn. c. l. n. 1.

VIII. Effectus hic ex dictis sequitur, quod auferens rem pro derelicto habitam furti non teneatur, etiam si penes illum fuerit furandi animus L. 43. §. 5. ff. de Furt. Carpz. Pr. Crim. qu. 86. n. 4. Unde apud Philipp. c. l. n. 10. pronuntiatum legitur: Dieweil aber dennoch der Pfarr-Herr von solchem Pferde, so in seinem Hause gestanden, und von des Feindes Volke darinnen verlassen worden, nichts gewußt, des Bauren Sohn aber dasselbige zum ersten in der Pfarrers Hause angetroffen, occupiret, und in seine Gerehr bekommen ic. So verbleibet es ihm eigenthümlichen billich, und der Pfarrer hat sich darwieder mit seinem Einwenden beständiger weise nicht zu behilfzen.

IX. Regna etiam pro derelicto haberi posse per omnem erga ea abjectam curam, exemplo Sardanapali Justin. Lib. I. c. 3. & Henrici III. R. Poloniae probatur Neugebauer Hist. Rer. Polon. lib. 9 p. 645. 647. Eorum vero tunc haec conditio est, quod sumnum imperium non ad quemcunq; occupantem perveniat, sed ad populum revertatur, qui pro suo arbitrio illud iterum in aliud conferre potest Neugeb. d. l. p. 660. seq. Fredro de reb. gest. Populi Polon. sub Henrico Valesio p. 252. seqq. p. 258 seq. & prior rex non nisi privatorum loco habetur, cui vim inferenti resisti jure potest. Grot. Lib. I. cap. 4. §. 9.

X. Hodie res pro derelicto habitas, & cætera adespota,

non occupanti, sed Fisco cedere, Autores apud Stryk. in *Uſu Mod. ff. tit. pro derelict. §. i.* existimant. Verum recte ab eo inter mobilia & immobilia distinguitur, illaq; ex jure communis, excluso Fisco, occupanti relinquenda esse statuit, cum semper pro juris communis observantia & contra legum mutationem präsumendum. Immobilia vero ex nota Praxi superiori territorii domino adjudicanda vult.

XI. Cum res pro derelicto illæ demum habeantur, quæ à domino ea mente abjectæ, quod eas amplius in numero rerum suarum esse nolit *supra §. 2.* sequitur, ubi de ea mente non constat, res abjectas vel alia ratione amissas pro derelicto non haberi. Quæ ergo oborta maris tempestate navis levandæ gratia ejiciuntur, & postea recuperantur, dominis suis non deneganda, sed restituenda sunt §. 47. *J. de R. D. L. 2. & 8. ff. ad L. Rhod de jactu L. 21. §. i. ff. de A. vel A. P.* soluto tamen pretio *Das Bergelohn* pro opera navata illis, qui merces jactas recuperarunt vid. *Jus marit. Svecic. P. 5. c. 1.* Etenim cum jactus plerumq; fiat ob loca scopulis aut littoribus vicina, ubi vada metuuntur, & tum jactæ merces facile appelluntur, regulariter spes recuperandi esse potest.

XII. Concludit hinc Imper. in *d. §. 47.* si quis fluctibus expulsas, vel etiam in ipso mari noctas, lucrandi animo abstulerit, cum furtum committere, ex ea ratione, quod domino, cuius remanere debebant, res istas auferat, Cujus sententiae non obstat, quod Ulpianus dicit in *L. 43. §. pen. ff. de furt.* plerumq; credendum esse, derelinquentis animo jactatum. Nam *JCtus de jactu spontaneo loquitur*, & de eo qui nulla necessitate res aliquas in mare projectit. Ex hujus enim merè voluntaria actione credibile est, ipsum id pro derelicto

listo velle habere, quod videtur ut peritum jactare. Vinn.
ad d. §. 47.

XIII. Proinde etiam consuetudines, quarum vi bona naufragorum Fisco addicuntur, ratione sustineri nequeunt. Iniquissimum enim est, eum qui nec læsit, nec lädere voluit, facultatibus spoliare, quibus ipsa tempestatis rabies peperit, easq; quasi restituit. Si in portum pervenissent bona naves, in ea ut peregrina Fisco jus nullum fuisset. At qua ratione jam miser iis defraudandus? Ita calamitas calamitati sociatur Dn. Vitriar in *Instit. Jur. publ. lib. 3. tit. 18. §. 39.* Huber de *Jure Civit. lib. 1. Sect. 3. cap. 7. n. 51. seqq.* Abrogavit etiam istas consuetudines Fridericus I. Imp. in *Avth. Navigia C. de Furt. & Carolus V. Imp. eum secutus statuta in transgressores publicatione bonorum & poena arbitraria in art. 128. Conf. Crim.* Adsumt & hac de re aliorum locorum statuta, quibus ad minimum vindicationi per dominos facienda certum tempus conceditur, & demum eo præterlapsi ad fiscum bona naufragorum referenda esse disponitur. De illis vid. Joh. Voet. *Comment. ad ff. tit. de Incend. ruin. naufrag. §. 3.*

XIV. Omnia minimè approbari possunt in quibusdam locis publicæ per Pastores preces, quibus Deum fatigant, ut infesta hæc lucra illis concedat, **Dass Gott den Strand gesegnen wolle.** Si eo saltem fine fierent, ut Deus maris accolis illa potius bona adjiciat, quam ea in mari perire patiatur, admitti possent. At tunc tamen debita cautione explicande erunt, ut neque naufragiotum votum continere, neque in ullius injuriam tendere, existimari queant. Titius in *Jure priu. Rom. Germ. Lib. 10. cap. 13. §. 20.*

XV.

XV. Præter res vitandi naufragii causa jactas pro dæ-
lictis non habentur, quæ iter facientibus de curru decidunt,
aut quæ imprudentibus excidunt in via, & ab alio inveni-
untur. Nec enim hæ animo derelinquendi amissæ sunt. Cer-
tum hinc, eas dominorum permanere, ut & qui eas animo
lucrificiæ tollit, furti obstringatur, sine discriminè, an-
sciverit an ignoraverit, cujus fuerint §. 47. f. de R. D. L. 43.
§. 4. ff. de furt.

Nam omnes scire debent, quod suum non
est, hoc ad alias modis omnibus pertinere L. ult. C. Unde vi.

XVI. Ut ergo ab hoc crimine inventor liber sit, per
libellum proponere debet, se invenisse & redditum ei,
quiscum id esse demonstraverit. Hac contestatione palam
facit, quod inventum non animo furandi tulerit d. L. 43. §.
7. f. 8. Si nemo post hanc publicationem appareat, qui
rem inventam repetat, inventor pauper ipse eam, ceu mu-
nere Dei collatam, retinere potest. Si dives est, benè &
piè fecerit, si in usus & alimoniam pauperum eam impen-
derit. Anton. Perez ad Cod. de furt. n. 10. Struv. in Jurisp.
Rom. Germ. lib. 2. tit. 1. §. ult. Malitiosè rem inventam oc-
cultans, ut fur, extraordinaria tamen tantum poena, punien-
dus, quia in circumstantia per oblatam occasionem minus
est furtum, quam quod ex studio committitur. Carpz.

in Pr. Crim. qu. 86.

(○)

XV

ULB Halle
002 178 486

3



sb

V D 18



Farbkarte #13

	B.I.G.	Black
Inches	6	7
Centimetres	15	18
	3/Color	White
Blue	1	2
Cyan	3	4
Green	5	6
Yellow	7	8
Red	9	10
Magenta	11	12
White	13	14
Black	15	16
3/Color	17	18
White	19	20
Black	21	22

Q. D. B. V.

DE

SPRODE- TO HABITIS.

Occasione

Inst. de Rerum Divis.

ANNO SABBATHINA XIV.

Partis Posterioris

Quam

IB PRÆSIDIO

JELIS FRIDERICI

LEGENBEG

Doct. & Prof.

GEDANENSIS AUDITORIO

ORDINARIO,

anno MDCCXXII. Hora XI.

Instituent
RESPONDENS

TIANUS Echlaaff / Trept. Pom.

ET OPPONENTES

GISMUNDUS SCHULTZ, Gedan.

ELM de BORCK. Eqv. Neo-March.

JOHANNIS DANIELIS STOLLIL,

ET ATHENÆI TYPGRAPHI.